



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXVI. Ignatij Venetias iter, & illic animarum bono ab eo gesta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Ordini fundaret quem esset ipse fundaturus. Quorum utrumque promissus exitus confirmavit.

XXVI.

Ignatij Venetias iter, & illic animarum bono ab eo gesta.

Post hæc Valentia Genuam in naui oneraria cum vectoribus aliis se mari dedit: periculosa tunc nauigatio & valde anceps euaserat ob classem Turcicam Barbarossæ in naues & homines inmani deprædatione toto illo tractu grassantem; cui tamen periculo haud paulò tristius, remedio fuit: atrocissima tempestas, & nauim iam iamque haustura, vt miraculo fuerit, facta mercium iactura, nudam vectore incolumi appulsi. Nam post temonem decumano fluctu diffractum & vela ruptis adminiculis iam inutilia, fuit ventorum marisque ludibrio, necessariò permittenda. Hic inter vota vocisque miserorum mortem in momenta præstolantium, nihil sibi sollicitus, nihil timens tranquillum animi, orisque serænum retinebat, utpote assuetus haud alio loco quàm in Dei manu cogitare se ac tutari: hoc vt postea factus est, pungebatur vno, quod tantis erga se Dei donis parum ex officio respondisset, sanctorum est scilicet hoc stimulo vri, vt qui scitè norint, magna Deidona, magnos esse nominum titulos, quibus vt sentiunt se premi grauius, eo timidi magis, ac suspensi de expediendis rationibus laborant. Mari demum sedato, nauisque vt potuit instructa Genuæ denique exscendit. Verùm aduersis ingrauescentibus, multo sauius terra quàm mari adiit discrimen, superato Appennini iugo ex Genuensi ditione in Cisalpinam Galliam descendebat; hinc viæ errore, per saxosa fissi montis angusta se immittit, quæ visa primum in plana distendi, in præcipitium torrenti imminens desinebant. Pergebat spe falsa deceptus, & ferè continuo per saxa desultu, incautus iam induerat sese, cum præcipitio proximus, vt retro inde resliret se vertit. Verùm vsque ad eò inuio, & horribili ascensu reuocandum illi iter fuit, vt manibus pedibusque adreptans, prehensisque saxis se attollens, quot passus promoueret, toties fallente aut vestigio aut saxo in præceps iturum se crederet. Quo vitæ discrimine, narrauit deinde sæpius, nullum vnquam se maius, & terribilius adiiisse. Hiems erat imbris supra modum infesta, viæ tota Longobardia, eluuiouibus abrupta, iter pedestre Ignatio arumnosissimum fecerant, ex quo & Bononiæ agrotauit. Collectas enim varij perpeffionibus morbi causas, exeruit grauis corporis lapsus, cum ipso in vrbs ingressu, de ponte in fossas corruit; inde aquis vt erat & luto disfluens, ne captandi contemptus occasionem corrumperet tam bonam, vicos vrbs, quæ erant maximè frequentes, lento gradu mendicans obiuit, & quam potissimum auebat stipem, reportauit omninò largiter, nempe dicteria, & sannas quibus abundè aspersus est; nam alioqui ne obolum quidem in vrbe tam nobili, & elemosynis dedita inuenit. Exceptus tamen est Hispanorum beneficentia qui habent illic Collegium locuples, & intra hebdomadam, ex febris, & tormento stomachi curatus. Quam iter Venetiàs secutus, illuc anno quinto & trigésimo supra sesquimillesimum exeunte peruenit. Quod mihi liquidò ex autographa eius Epistola constitit, Februarij 12. ann. 1536. Venetiis data, quæ Barcinonensem Archidiaco

chidiaconum, de suo illuc appulsi monens, sesquimenssem iam, ait Venerabilis ago, pergitque scribere de Theologiae studiis quae ibidem esset ad usque verum ieiunium proximi anni continuaturus; & libris sibi ad haec utilibus quos ad Rosellam postmodum remissurum se ait. Quod item aliis repetit literis, indidem Nouembri anno eodem datis. Haec tamen studia, ut alibi semper, cum studio iunxit salutis alienae, nec absque operae pretio. Duo erant Fratres ex Nauarra orti, à Palestina tunc reduces, vnus Iacobus, Stephanus alter de Equia, ab his Ignatius fortuito obuius, & olim Compluti bene notus, non perhumaniter solum salutatur, sed velut à caelo ad se destinatus, ex primo aditu creditur, ad fluctuantem vtriusque animum placida pace componendum, iis enim sancta, ex qua tunc redibant peregrinatio, magnum ardorem promerita fuerat caducis abdicandi sese, Christoque propius adhaerendi, sed incerti quis modus, omnium maxime ad hoc conduceret; lucem consilij, & precum subsidia ex Ignatio quaerebant. Horum votis benigne annuens, exercitia illis de more tradidit, per quae manifestò ab iis perceptum, placere Deo, ut se ad Ignatium applicarent, quod tunc quidem utcumque ab iis iam exceptum est, post verò condita Societate, integrè confectum. Difficilior fuit Baccalaurei Hozij deliberatio. Pertinebat hic ad Hoziorum stemma, de stirpe progenatum Cordubensi in Boetica, & longo ab æuo, ob egregia merita, ditione Albaidæ à Castellæ Regibus ornatum. Is ergo & sanguine, & doctrina illustris, magnis desiderijs ardebat perfecta virtutis, & quantum ad eam valerent Exercitia Ignatij, multorum experientia obseruarat; verum hæc illi tot & calumnia, & Quæstorum sacrorum examina, vsque adeò suspecta fecerant, latentis, in auro veneni; ut inducere animum ad illa non posset, ne inficeretur vel iniuitus. Hatid tamen denique, tantum boni, tam certi, ob suspicionem mali leuissimam omittendum putauit, & anteuerti ab se antidoto posse si quid boni, fucus erroris pestiferi occultaret: fuit autem antidotum prodromum, Conciliorum, Patrum, Theologorum, multis voluminibus ingens moles qua se munierat. Verum exacto vix triduo, primarum meditationum vbi mutari se in virum alterum persensit, & hanc mutandi vim non peregrinis, & exoticis, quas extimuerat; sed simplicibus ac nudis Euangelij documentis inesse; tunc verò suos mirari metus ridiculos, & stoliditatem suam non sine lacrymis inculcare quæ se tanto tamdiu prohibuisset bono, eiusque perdendi periculo obiecisset; suas quoque illas quibus fuerat agitatus suspicionum umbras Ignatio aperire, & defensionis appatum quo se contra illas tueri sperauerat. Petita dehinc ab eodè demissè venia exercitiis finè proposuit, quem mox secutus est fixum cum Ignatio eiusque sociis viuendi propositum. Quod etsi breuissimi temporis, fuit tamen valde inuidendum, cum Societatem, vix dum bene in terris conscriptam, moriens caelo transcripserit. Præter hos iisdem meditationum nunquam iactis in cassum retibus, alios ad Deum, atque ad se pertraxit. Sed fuit eius lucrum singulare, Societatis fautor, ac parens optimus Petrus Contarenus, SS. Ioannis, & Pauli, tunc nosocomio Præses; Bassi deinde Episcopus, neque vero is solum,

sed

sed Zacharias, Marcus, Philippus, & Illustrissima ipsorum familia vniuersa, qui ad Societatem postea fundandam, paterno nobis præsidio semper adfuerunt. Bellæ res hæcenus ferebantur, & mirum erat tamdiu Venetiis dæmonem cessare, alibi semper Ignatio aduersatum. Eius ergo ac sui non immemor, eò in illum detestabilis incubuit, quo falsi vix posse conuinci, sparsæ de ipso calumniæ videbantur, iactabatur enim sator hæresion versipellis; Hispanias primum, tum Gallias iis contemerasse, in Italiam demum sese penetrare ad contaminandam illam eadem lue. Procedere illi rem ex sententia beneficio secreti, nam cum alioqui cœpisset detegi, ad primam delationis auram, quam ei familiaris afflabat dæmon, salutem fuga redemisse, delusis sacrorum Quæstorum tribunalibus, & pœnis. Sic & Compluti, sic & Salmanticæ, sic Parisiis ab eo factum, eiusque illic effigiem, quod in eum decerni aliud non posset, ad sempiternam infamiam rogo traditam fuisse. Iam fidei aliquid, hæc licet somnia, publicè vulgata, in quorundam animis fecerant, cum admonitus Ignatius, nihil conturbatus vt qui optimè nosset, vnde quòve spectarent, placidè Hieronymum Veralium Pauli tunc tertij Venetiis Nuncium, postea Cardinalem, conuenit, rogauitque de sua vel rei, vel actoris causa plenè cognosceret, haud quidem calumniatores, sed ipsas calumnias damnaturus, & annuit postulationi æquissimæ Nuncius, eo fructu qui consueuerat ex causis similibus ad Ignatium redire, pronunciatum est iudicio publico pro illius innocentia, aduersarij; falsitatis, & calumniæ damnati.

XXVII.
Tres Ignatio
socios Petrus
Faber Parisiis
adiungit.

Hæc ab Ignatio dum Aspeitia, & Venetiis gererentur, Parisiis Faber cum sociis studiorum cursum ad metam vrgebat, ibi condictum discessit, operiens diem, moliri & ipse aliquid magistro dignum (cuius illic agebat vices) in piscatione animorum aggressus est: quantos verò ex ea quæstus retulerit, vel ex vno solum intelligatur plenius, quam si per singula eatur; vt enim rescitum de illius discessu ad conueniendum Ignatium, eius Academiae doctor, & fama conspicuus, & eximia probitatis, religionem ipsi lethalis criminis iniecit, si quam illic Deo nauabat operæ in conuertendis ad illum tam multis, spes anteponeret dubias & longinquas, mira quædam cum Ignatio patranda; quæ quantumuis magnifica, futuri specie blandirentur, nunquam tamen essent vtilitatum præsentium mensuram æquatúra. Subdebátque in hac sententia si parum se crederet fide dignum, daturum se illam Theologorum Parisiensium multis chirographis munitam. Hic verò animos generosæ illius familiæ nisi & inter se, & cum Ignatio, certa persuasio colligassèt, qua se per eum à Deo electos ad ingentia opera statuebant; nutasset profectò Fabri constantia, forte illo concussu ab Ignatio diuellenda, forte etiam socios diuulsura, vel aliò quopiam impulsura. Grandi enim, si minus culpa, at certe iactura, omitti Parisiis videbantur innumerabiles animæ quæ lætissimos prouentus impensæ sibi operæ reddebant, ob transmarinam expeditionem, ad profanos, barbaros, ignoti moris, & linguæ populos, nec fortassis culturam passuros, aut fructu certè non alio quàm emeriti laboris, nulla fruge conuersionis animarum. Verum enim verò Ignatij fabricam machinata fuerat Dei manus, nec aut iste, aut

quiuis